

Sigismundus primus rex Poloniae,  
parlamento Gallie.

276

Reverendissimi ac reverendi in Christo  
patres, nec non spectabiles et magnifici  
domini, sincere nobis dilecti. Retulerunt  
ad nos subiecti nostri cives Gedanenses ter-  
re Prussiae, quomodo cum annis supe-  
rioribus, hoc est anno salutis nostrae mil-  
lesimo quingentesimo decimo quarto, regnum  
Francie bellis turbaretur, navis una onera-  
ta dictorum civium mercibus referta, et  
preter Franciam acta, ab agentibus regni  
illius fuit intercepta et occupata, ad  
quam iure repetendam dicti cives nostri  
procuratorem suum Petrum Steynhaver cum  
mandato isthac in Franciam miserunt, quo  
effectum esse aiunt, ut maiestas regia  
causam ipsam ad iudicium vestrum cen-  
tumviralem cognoscendam et dispiendam  
delegaverit, in quo iudicio adversarios, hoc  
est talis navis et mercium interceptores  
et occupatores, in duodecim millibus et qua-  
draginta nummis aureis, quos coronatos  
vocant, iustis navis dominis persolvendi-  
bus, condemnatos esse asserunt, nihilque de-  
inceps superesse, quam ut talis sententia  
que in rem iudicatam iam dudum transi-  
it, executioni debita demandetur. Quod quia  
hactenus



hactenus factum non est, subiectique nostri  
ob eam rem, gravi iactura rei familia:  
ris sua premantur; rogamus vos ut pro  
summa prudentia et gravitate vestra ef:  
ficiatis, ut tandem res ipsa effectum su:  
um consequeretur, civesque nostri sum:  
mam pecunie eius adiudicatum, plene  
et sine ulteriori dilatione consequantur.  
Quod pro singulari fama iustitiae et equi:  
tatis, quae de vobis passim ubique pre:  
dicatur, vos facturos non ambigimus, et  
quos valere optamus. Datum 1520. ni fallor